

Est quidem locus ille de fructuum perceptione inter celeberrimos in iure nostro, ideoque a multis discussus & diligenter tractatus, sed putamus tamen, superesse nobis post messem vberrimam spicilegium quoddam, quod quidem hoc specimine nostro inaugurali dare instituimus. Neque vero id agemus, vt scrinia aliorum expilemus, & sexcenties dicta denuo, quasi noua & inaudita, proferamus, sed pauca admodum, eaque selectiora capita huius doctrinae dabimus, ea tantum, quae prae-termissa ab aliis sunt, aut quae nobis curatius finiri posse videntur, paucis exposituri, breuitatis magis, quam prolixitatis, studiosi.

C A P V T I.

§. I.

Notissimum est, doctores nostros in acquirendo rerum dominio distinguere titulum & modum acquirendi, huiusque duas constituere formas, alteram modorum acquirendi naturalium, ciuilium alteram, illorum autem alios originarios, alios deriuatiuos dicere, originarios denique in principaliter & simpliciter, aut secundum quid tales,

A

vt